

FERIA QUINTA PASSIONIS

DE EVANGELIO FERIE QUINTÆ HIC NON TRACTATUR, QUIA IN PROMPTUARIO SACRO TREDECIM HABENTUR DISCURSUS DE S. MARIA MAGDALENA, IN QUIBUS DE ILLO EVANGELIO FUSE DISSERTUR

FERIA SEXTA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. 11, VERS. 47

47. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.

49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis,

50. Quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente.

52. Et non tantum pro gente, sed et filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54. Jesus autem jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

VERSUS 47.

Collegerunt ergo Pontifices et Pharisei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

Collegerunt Pontifices et Pharisei.

1. — Post illud a Christo in resuscitatione Lazari patratum gloriosum miraculum, nonnulli, qui ejusdem miraculi editioni presentes astiterant, Phariseos convenientes, isdem quicquid acciderat, retulerunt. Unde Lucas Brugensis dicit: « Pharisei alii « retulerunt ad summum Pontificem; et una cum « illo judicant rem dignam esse, ob quam concilium, de quo etiam ipsi erant, convocaretur. » Ecce tibi quemquam ex hoc tam admirabili miraculo, quod clarum perhibebat divinitati Christi testimonium, sortiti sint effectum. Enimvero valde considerabilis est dictio illa, ergo; per hanc enim S. Joannes dicere velle videtur: ecce tibi effectum, in his miraculum istud produxit. Toletus ait: « Quis « unquam audivit tale? quia mortuum quatuordecim « num suscitavit, propterea convenerunt contra « ipsum, cum causa hanc eos movere debuisset, ut « convenirent ad eum recipiendum et venerandum. » Quo si aliquid fortasse commississet homicidium, juste institutum fuisse videri posset

concilium, ut castigaretur: « At mortuum ad vitam « revocantem, nemo damnare tentasset, præter eos, « qui diabolica nequitia pleni erant, quibus recte « dictum est: Vos ex patre diabolo estis. »

2. — Quis concilium hoc, in quod nulli admittebantur, præterquam illi, qui eximio zelo, sapientia, morumque religioſitate in universo Hebraismo præcellentiores, magisque conspicui erant, maxime in illa temporis circumstantia coadunari videns non credidisset hoc solum fine congregatum fuisse, ut nimirum Christo velut Messie divini decernerentur honores, vel ut hoc fine præclara quedam expediretur legatio, qualis alias ad ejus præcursores destinata fuerat, maxime quando jam constabat Christum hoc miraculum patrando protestatum fuisse, se ad illud edendum hoc solum fine moveri, ut illud videns circumstans spectatorum corona cum vere Filium Dei esse agnoscerent? clare hinc videtur, quantum hominum passionatorum cogitationes et consilia distent ab eo, quod recta ratio et discursus suadet hominum ingeniorum; etenim concilium hoc illa solum intentione celebrabatur, ut odio et invidia, qua adversus Salvatorem exstimulabantur, aliquem boni publici coloratum prætextum affingerent, non vero ut cultum et venerationem ipsi tanquam Messie debitam publica auctoritate authenticarent. Quamvis Salmeron ad alium quem-

dam ab illis intentum finem perversum sese reflectat, dum ait: « Factum est hoc, ut quo Christi « condemnatio a pluribus fieret, eo esset Christo « ignominiosior, et justior videretur apud populum. »

3. — Quod si populus seditiosus ad invicem coivisset, deque mediis ad necem ei inferendam opportunis inter se deliberasset, aliquam saltem pro se excusationem mereri potuisset, eo quod furor et indignatio suam judicio libertatem non permitat, ipsaque plebis congregata seditiosæ multitudinis ignorantia plerumque laborare et in discursu suo cæca esse soleat, at vero stupenda res est, quod viri eximie docti, sapientes, prudentes et in consiliis tractandis expertissimi, sedato animo et maturo prævio consilio, post innocentiam suam illis perspicue declaratam, post recepta veridica miraculorum ejus testimonia de inferenda ipsi morte exoptato consilio decretum condiderint; hoc enim est, quod concilii hujus malitia vel maxime aggravat, ut proinde Spiritus Sanctus per os Psalmistæ non immerito, Psal. II, 1, quærat dicens: *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ et Principes, etc.*, ubi cum pondere sanctuarii trutinanda est dictio illa, quare; sed quodnam fuit illorum motivum? Quia multa signa facit.

4. — « Fuerunt hujus consilii auctores Pontifices, » inquit S. Antonius de Padua, « in quibus esse debebat æquitas justitiæ, et Pharisei, in quibus esse debebat sanctitas vitæ. » S. Thomas ex pluribus capitibus eorum, qui concilium hoc convocarunt, malitiam aggravat, nimirum « Ex personarum conditione, quia non plebei, sed Pontifices et Pharisei; Pontifices, qui erant principes sacerdotum; Pharisei, qui speciem religionis habebant. » Secundo loco considerat quod hæc resolutio non sine maturo consilio cepta fuerit. Tertia circumstantia est, quod congregati fuerint « ex prava intentione, quia adversus Jesum, id est, Salvatorem; » Salmeron hanc habet considerationem, ex qua etiam concilii hujus malignitas clare elucescit: « Cum omne concilium ad propugnandum fidem et morum disciplinam restituendum « congregari in Spiritu Sancto legitime consueverit, solum hoc concilium aut conciliabulum potius ad Christi fidem extinguendam, ac proinde « ad morum corruptelam invendendam celebratum « fuit. » Idem quoque doctissimum concilium hoc omnium conciliorum, quæ unquam congregata fuerunt, iniquissimum fuisse ostendit. Simul quidem in se convenerunt fratres contra Joseph; Ægyptii adversus populum Dei; Achitophel et Absalon contra David; seniores contra Susannam; Sacerdotes contra Jeremiam; Satrapæ adversus Danielelem, sed hi omnes contra homines convenerunt, non vero contra Deum, aut contra suum Mes-

siam, qui aliud non erat quam ualeans ipsorum Salvator.

5. — Idem quoque Auctor, qualesnam illi fuerint, quorum jussu concilium istud congregatum fuit, examinat dicens: « Qui majora beneficia a Deo « acceperant, magis erant Christo infensi, ut jam « non liceat dicere cum Propheta: *Et erit sicut « populus, sicut Sacerdos;* » sed potius non erit sicut populus, sicut Sacerdos. S. Bonaventura quoque reflectit odium Sacerdotum et Pontificum intensissimum fuisse propter interesse ipsorum, a quo se seduci sinebant: « Patet hic quod Pontifices et majores amplius Christum impugnant, ne amitterent principatum in plebem, quem amabant; » quam ipsorum ambitionem Dominus noster jam ante in his verbis, Luc., XIV, 7, improperat: « *In- « tendens quomodo primos accubitos eligent, etc.*, « et quia diligeant temporalis dignitates supra « divinum honorem et supra Deum, ideo merito « amiserunt. »

6. — Lyranus Phariseos pro majori parte ex tribu Simeonis descendisse notat, sicut Pontifices et Sacerdotes ex tribu Levi prognati erant: « Ideo in « figura hujus prædictum est, Genes., XLIX, 5, 6: « *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, « in concilium eorum non veniat anima mea.* »

Et dicebant: Quid facimus?

7. — « Vox hæc est, » inquit Toletus, « se mutuo « accusantium et insimulantium negligentia et tarditas in discernendo eo, quod contra Christum « faciendum est. » Jansenius postquam hanc eandem expositionem adduxisset, subjungit aliam, dicens: « Aut ut intelligatur querere de eo quid « faciendum restat, ut præsens, facimus, sit positum, quemadmodum codices quidem antiqui, ut « sit sensus: Quid suadetis faciendum? » S. Thomas ait: « Sicut non minus insipientes, quam cæci, « quia dubitant, quod eos facere oporteat, cum « nihil aliud eis faciendum erat quam credere. »

8. — Salmeron, tract. LIV, ejusdem est cum Toletio opinionis, quod scilicet hæc verbis semetipsoſ condemnent, unsque alteri suam in morte Christo inferenda, eumque e medio mundi tollendo pigritiam, socordiam et negligentiam expröbrarint. Qui idem tamen aliam quamdam observationem adducit, quæ odium trecentulum, quo adversus Christum agitabantur, ad vivum exprimet: « Expende, » inquit, « admirabilem situm malefaciendi; » jam enim ejus doctrinam, predicationem, vitam, miracula, parentes sæpius calumniati fuerant, eumque multis injuriarum generibus in faciem ei illatis affecerant, jam enim tanquam sabbati transgressorem, violentum, publicanorumque amicam accusarant; similiter ad inferendam ei necem violentas in eum manus injicere conati fuerant, denique omnes illos, qui in eum credituri erant, excom-

nummicos et e synagoga proscriptos declarant; et « tamen tanquam si nihil egissent, dicunt: *Quid facimus?* »

9. — Non dixerunt: *Quid fecit?* siquidem nullum contra eum delicti caput adducere poterat, nisi miracula ejus, innocentiam et sanctitatem vitæ ipsius, quæ ipsi velut spina in oculis erant: *Multa signa fecit.* Ecce delictum, propter quod ipsum occidere decreverat: « Pro crimine, » inquit Salmeron, « quod omni laude et admiratione dignum erat. Adhuc etsi ex livore illum vellent perdere, nihil mali tamen ei poterant objicere, nisi tantum beneficium ejus; » imo et ipsi latrones cum eo crucifixi innocentiam et vitam ejus irreprehensibilem deprædicabant, dicentes: *Nihil mali gessit.*

10. — Albertus Magnus hæc verba ponderans, multos absconditos et occultos detegit fines, ob quos ad intentandam ei mortem moti fuerunt. Dicit enim: « Est autem verbum angustiati, dicere, *quid facimus?* » Hancque angustiam ex tribus præcipue derivari potuisse ostendit. Primo scilicet, ob avaritiam, qui lucra, quæ in populo sectabantur, perdere volebant. Unde et avarus ille, *Luc.*, xii, 17, dicebat: *Quid faciam?* Secundo loco procedere poterat a timore perendi dominium, publicorumque officiorum et magistratum administrationem; sic enim œconomus ille, *Luc.*, xvi, 3: « Videns se destitutum a potestate administrationis rerum Domini sui, » inquit: *Quid faciam? quia Dominus meus auferit a me villificationem?* Tertio ab invidia processisse dicit, quia Salvatoris malignabantur miracula. Sic enim Act. Apost., iv, 16, « dicunt: *Quid faciemus, viri fratres, hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus, etc.* Isis omnibus a causis isti contristati et angustiati dicunt: *Quid facimus?* »

11. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, ait: « Moraliter autem *quid facimus?* Cuiuslibet enim nostrum verbum propositum est; peccatis namque que involvimus, peccatis definemur, peccata enim malamus et tamen nobis Scriptura dicit: *Quid facimus?* »

Quia hic homo.

12. — Chrysostomus, *Hom. lxxii in Joan.*, eos ipsum hominem appellasse notat, non obstante quod multa eis evidenter demonstrasset signa divinitatis: « Adhuc hominem appellant, cum tamen divinitatis ejus testimonium acceperint. » Die præcedenti gloriosum illud resurrectionis Lazari miraculum addiderat, quod se ideo facere protestatus fuerat, ut se a Patre colitum missum esse comprobaret, *Joan.*, xi, 42: *Propter populum, qui circumstat, ut credant quia tu me misisti.* S. Cyrillus ait: « Ut de homine simplici existimantes, dicunt, « *quia hic homo;* » si enim ipsum hominem pariter et Deum agnovissent, mortem ejus utique machi-

nati non fuissent; *1 Cor.*, ii, 8: *Si cognovissent, nonquam Dominum gloria crucifixerunt.* « Quem in tanto miraculo, » inquit Albertus Magnus, « Deum esse cognoscere poterant, adhuc exæcati hominem » vocant. »

13. — Dionysius Carthusianus eos illum hoc nomine ex contemptu appellasse existimat: « Quem ex contemptu et invidia proprio nomine exprime non volebant. » Salmeron eodem sensu pariter scribit: « Ut erat illis gravis ad videndum, ita et ad nominandum; et quem verum Christum et Dei Filium agnoscere potuerunt, tum ex Joannis testimonio, tum ex doctrina, tum ex Scripturis, tum ex admirandis operum signis, eum hominem » vocant. »

Multa signa facit.

14. — D. Chrysostomus cæcitate et crudelitatem ipsorum his verbis obstupescit: « Cum admirari et obstupescere eos oporteret, ipsum, qui mortuum suscitaverat, interficere voluerunt. » Salmeron observat quod cum alias ab ipso petierint, ut ad declarandum se Dei esse Filium miracula ederet, nunc ea videntes et tanquam veris cum admiratione et stupore applaudentes, dum eum venerari debuissent, mortem ei machinati fuerint: « Vide insignem nequitiam; aliqui petunt signa ut credant, dum dicunt: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi?* » *Joan.*, vi, 30. Nunc signa continentur et propter illa Christum perdere conantur: « passio etenim invidiæ et odii illos exæcavit, siquidem consequentia, quam ex miraculis, quorum oculati testes fuerant, tanquam plena voce confitebantur, hæc erat. Ergo ipsum tanquam Prophetam, omnique humana conditione superiorem venerari et colere, vel saltem miracula examinare debebant, an talia revera essent, quæ ipsum verum Messiam manifestare possent. Paulo ante concorditer confessi fuerant, dicentes: *Nunquid cum Christus venerit, plura signa faciet?* Nicodemus, qui valde sensatus et sapiens erat, dicebat, *Joan.*, m, 3: *Scimus quia a Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* » Hinc majori damnatione, » inquit Salmeron, « digni extiterunt Judei, quod talia opera præstantem damnaverint, sicut ipsemet dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* »

15. — Aliud quoddam cæcitate ipsorum signum Origenes his verbis notat: « Cæcitas hoc ipsum erat; ad facientem enim tot miracula pertinebat, » ut se ab eorum insidiis eximeret; » manifestus autem Chrysostomus eos stultitie arguit, dum ait: « O amentiam! qui in aliis corporibus mortem viderat, ei mortem inferre arbitrabantur. » Hanc eandem considerationem S. Cyrillus Alexandrinus quoque his verbis exprimit: « De occidendo con-

sultant, quem morte potentiores vident, non cogitantes ineffabilem potentiam. »

16. — Motivum, quo non obstante quod divinitatis sue omnipotentia evidenter appareret, mortem ei nihilominus machinabantur, sola invidia fuit. « Præcipua quæ eos movit, causa, » inquit Lucas Brugesis, « fuit invidia et odium erga Jesum, cum desperatione conjunctum, quod viderent, si Jesus emergeret, se mergendos. » Theophylactus ponderat quod totum delictum, quod ei opponebant, ad hoc solum reducebatur: « *Multa signa facit;* et quale hoc crimen, quod signa facit? » Invidio nimirum omne bonum, omnisque virtutis et perfectionis opera, quæ in aliis elucescunt, materia culpæ esse videntur atque delicti. S. Gregorius, *lib. XVIII Mor.*, c. xix, de synagoga scribit: « An non æmulationis sue facibus ardebat, cum Redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos dicebat: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vel certe: *Videtis quia nihil proficimus: ecce totus mundus post eum abiit.* Videbant unde contra verti debebant, atque exinde periores fiebant. Quærebant extinguere, quem cernebant mortuos vivificare. » Non enim concilium hoc convocant ad Christi causam examinandam, sed ut suum contra Christum odium proderent, Unde S. Augustinus ait: « Plus cogitabant perituri homines quomodo nocerent et perderent, quam quomodo consulerent; » enim evidens signum fuisse verba illa, quæ in principio dixerunt, priusquam de meritis cause agerent, videlicet: *Quid facimus?* Prius discutere merita et de his inter se consultare debuissent et postea se resolvere, dicendo: *Quid facimus?* quam resolutionem capiemus? Unde Seneca optime ait: « Sapientis est examinare consilia et non cito facili credulitate ad temeraria » prolabi. »

17. — Matthæi cap. xii, 13, refertur, quod cum Salvator manum aridam habentem sue integritati restitisset: *Tunc ait homini: Extende manum tuam, et extendit, et restituta est sonitati.* Qua subsecuta, Pharisei immediate se simul junxerunt cum Phariseis, ut ei machinarentur mortem: *Excitantes autem Pharisei concilium facièbant adversus eum, quomodo perderent eum.* Divus Chrysostomus, *Hom. xxxii in Joan.*, hoc loco optime considerat quod adversus Redemptorem ferociter cooperint propter miracula et beneficia, quæ in ipsorum eadem utilitatem, non vero propter verbera, quibus eos exasperat, quando flagello manibus suis apprehenso et templo eos eiecit; nec mirum, quia ut idem sanctus Doctor ait: « Multo magis aliena gloria offendit invidos quam proprium damnationem; in alios collata beneficia magis irritabant. »

18. — Valde admiratus S. Thomas de Villanova neminem in eo concilio fuisse, qui Redemptoris sibi defensionem vindicaret, dicendo: *Quid enim*

mali fecit? Nullus erat ibi, qui responderet pro innocente et diceret: *Quid enim mali fecit?* Nullum aliud crimen reperit, nisi quod multa signa fecit, quod sanat ægros, illuminat cæcos, quod suscitavit mortuos? Propter hæc adorare debuisset et pro his occidit? Ergone possibile est, quod in tot Scribarum, Sacerdotum, Phariseorum, Principum atque Pontificum multitudine nullus sit, qui majori non sit præditus pro Dei honore zelo, quam homo aliquis gentilis et idolorum cultui etiamnum deditus, qualis Pilatus fuit, qui eis illum occidere volentibus clamavit: *Quid enim mali fecit?*

19. — Vere hic adimpletum fuit, quod Psalmista prædixerat, *Psal. xxxiv, 14: Retribuebant mihi mali pro bonis;* pro eo namque quod Lazarum a mortuis suscitaverat, quod mortem et infernum jussu suis morigerum reddiderat, ecce qualis ipsi impensa fuerit remuneratio, machinato videlicet mortis. Unde merito idem sanctus Archiepiscopus eis exprobrat, dicens: « His beneficiis talem præstatis remunerationem? » Sancta quoque Mater Ecclesia in lectionibus Matutini Ferie VI in Parasceve, hæc eis ingratitude, per S. Augustinum, ob oculos his verbis ponit: « Nostis quis conventus erat malignantium Judeorum et quæ multitudo erat operantium iniquitatem? Quam iniquitatem? Quia voluerunt occidere Dominum Jesum Christum. » Tanta opera bona, inquit, ostendit vobis, propter quod horum me vultis occidere? Perlatit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum; et his omnibus ingrati, tanquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum. » S. Antonius de Padua ait: « De quo erat illud concilium? De morte Christi procuranda; erat enim adversus salutem, qua contra Jesum. » O peccati furia et phrenesis, que in tantam proccidit insaniam, ut mortem mansuetissimi medici, qui salutem attulerat, pertractaret! Porro hoc ingratitude ipsorum detestabile vitium, exterminium ipsorum causa fuit, ac proinde Divus Chrysostomus, *Hom. xxv in Matth.*, scribit: « Judeos nihil magis perditioni dedit quam quod ingrati Deo esse voluerunt. » Moyses adversus hæc ingratitude, quæ relaturus eis eorum exitus est verbis, quibus post tot sæcula Deus ipse per os Prophetæ Evangelicis lamentatus fuisse legitur, dum ait, *Deut.*, xxxii, 4: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Moyses etenim, *ibid.*, v, dixit: *Generatio prava et perversa, hæcine reddis Domino?* Isaïas vero, i, 2, ait: *Audite cæli, auribus percipite terra: filios emultrivi et exultavi, ipsi autem speraverunt me.*

VERSUS 48.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.

Si dimittimus eum sic.

1. — « Significanter dicit, si dimittimus eum, » inquit Cajetanus, « tractando, quod oportet opponere impedimentum ex parte ipsius Jesus, impediendo ipsum. » Neque enim videbant, quo tanta multitudi- ni populi obviam ire possent; siquidem non obstante edicto hoc publico, quo decernebatur, *Joan.*, ix, 22, ut si quis eum confiteretur esse Christum extra synagogam ferret, eidem nihilominus ne minimum quidem parebant; « vincebatur enim hoc impedimentum a magnitudine miraculorum. » Albertus Magnus ait: « Si dimittimus eum sic libere miraculando procedere; et assignatur hujus per- versitatis ratio ex amissione lucri et dominationis eorum in populo. »

Omnes credent in eum.

2. — « Christum agnoscent et sequentur, ut Messiam Regem, » inquit Lucas Brugensis, « Pa- tribus promissum; significant admiranda et effi- cacia signa esse, que omnes queant attrahere, adversus se, ipsi veritatis testes vel invit. » Interesse enim proprium, prout verba sequentia satis declarant, nec non invidia livor excecaverat, ut non Christus verus Messias esset, examinare negli- gerent, cum tamen argumenta manifesta idipsum convincentia presto essent, maxime prophetia Isaia, xxxv, 5. « Hec inquirenda, » inquit Lucas Brugensis, « ab ipsis in primis erant, ut erat istius concilii de vero et falso Propheta judicare, his consulto prateritis, odio persone occupati, po- nunt Jesum non esse Christum nec in eum cre- dendum. »

3. — Salmeron ait: « Unde letari debuerant, contristari et, ut Cyrillus exponit, invident »

4. — « soli, quod in plures suae lucis distribuat radios. » « Digna S. Gregorii ingenio ponderatio fuit dicentis, quod Judaei fidem populi in Christum, per ipsam mortem extinguere cupientes, eundem illa mediante magis potius adauxerint: « Intulerunt ei mortem, ut ab eo absconderent fidelium devotio- nem; sed fides inde crevit, unde se hanc extin- guere infidelium crudelitas credidit; » id quod jam dudum ante, *Joan.*, xii, 32, praedixerat, dum ait: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum; hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Centurio quoque totius gentilissimi nomine confessus fuit dicens: *Vere Filius Dei erat iste.*

5. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, ipsos Christus criminis laese majestatis reum esse

convincere voluisse dicit, eo quod causa fuerit, cur populus tumultuaretur, in ejus se sequelam et disci- plinam recipiens, cum non modico rebellionis con- tra Caesarem periculo: « Verius potius dicebant ex malitia, quia volebant contra eum corda homi- num incitare. »

Et venient Romani.

6. — S. Thomas, in *Joan.*, hunc illorum timorem aliquali fundamento non caruisse existimat, siqui- dem Christum a turbis tanquam Regem honorari noverant, Romanos vero idipsum sine aliqua cum illis facta communicatione, ipsorumque permis- sione fieri nequaquam toleratos esse sciebant, ac proinde non immerito videbantur timere, ne si hoc in illorum venire notitiam, ab ipsis velut rebelles ipsi quoque multarentur poenis. Unde *Joan.*, xix, dicunt: *Omnis qui se Regem facit, contradicit Caesari;* at vero, prout alii sacri Expositores optime discurrunt, nullum habebant idipsum rationabiliter timendi motivum, scilicet quod semetipsum ad honores sublimatus esset, indeque extraheretur alios; tum quia quando turbae illum ad thronum regium subvehere volebant: *Fugit in montem ipse solus*, tum quia in cunctis operibus suis verissimum esse ostendit, quod coram tribunali Pilati consti- tutus edixit, nimirum: *Regnum meum non est de hoc mundo;* et illud, quod sancta Mater Ecclesia in Hymno quodam de Epiphania canit: « Non eripit mortalita, qui regna dat caelestia. » Unde bene D. Chrysostomus, *Hom. lxi in Joan.*, ait: « Numquid seditionem docebat Christus? Non dissuadebat census dare Caesari? Nonne Regem ipsum facere voluistis, et renuit? » Summus etenim erat sedi- tionum et contentionum inimicus et quod alias docebat, in semetipso prius adimplebat, nimirum: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Idem quoque sanctus Doctor ulterius procedit, dicens: « Nonne alapis caesos non ulcisci, nonne injuria af- fectos tolerare, nonne ad accipiendum, quam ad inferendum aliis malum promptiores esse admo- nuit? » Numquid haec tyrannidem constituentis sunt, an potius tolerantis? S. Thomas de Villanova efficacem quoque adversus ipsos rationem adducit, dum ait: « Quod si invitatus a populo constitueretur Rex, numquid non sufficeret liberare populum a Romanis, qui poterat homines suscitare a mor- tuis? Quanta vobis esset felicitas sub tali Rege! quanta securitas in tali Salvatore! » Etenim cer- tum est ipsos sibi persuasum habuisse, quod Messias temporaliter regnatura, suoque dominio cunctos alios terre Principes subiecturus esset, eo quod *Psalm.* lxxi, 11: *Adorabunt eum omnes Reges terrae;* at vero si divinam ejus in patrandis miraculis omni- potentiam et quam super elementa, omnesque alias creaturas exercebat auctoritatem, excessivam deni- que ipsius sanctitatem, sapientiam, admirandamque

ejus praedicationem rite examinasset, facile sibi persuadere potuissent, ipsum quoque Romanos ad suum habiturum fuisse arbitrium et obsequium, vel saltem quod ad resistendum illis, ipsosque ab horum jugo liberandos sufficientissimus fuisset futurus.

7. — Unde Toletus notat quod ab omnipotentia et miraculis Christi contrariam omnino deducere debuisset consequentiam: « Ratio recta non hoc inferendum esse dicebat, sed, venient Romani et credent etiam in eum; nam qui caecos illumina- bat et mortuos suscitabat, et Judaeos ad se con- verterat, Romanos etiam potuisset ad se tra- here; » idque ei tanto poterat esse facilius, quanto verius erat hoc in ingenti illa Deorum, quos adorabant, multitudine, quia, ut S. Leo ait: « Om- nium gentium serviebat Roma erroribus, » ne vel unum ex omnibus Diis habebant, qui adeo pro- digiosa edidisset miracula, qualia Salvator noster quotidie faciebat; imo tanto firmius idipsum sibi persuadere potuissent, quanto clariora erant Scrip- turarum plurimum divina oracula, quibus ipsum quo- que fidei suae lumine ad gentiles pertransiturum esse praenuntiabat. *Isa.*, lx, 3: *Annuntiabunt gentes in lumine tuo et Reges in splendore ortus tui.* Et quidem tametsi etiam dubitare potuissent, an Romani ad ipsum convertendi et fidem ejus amplexturi essent, saltem nullo modo sive timere, sive dubitare poterant, quia supremus ille Monarcha, in cujus femore scriptum legitur: *Ree regum et Domini dominantium*, ipsos protecturus fuisset et defen- surus: « Nam innumeras gentes contra eos insur- gentes, unius Prophete interventu a Deo dispersas et separatas esse experti erant, una Judith Holo- fernem occidit et exercitum ejus dissipavit; Eli- seus latrones excecavit; Elias quinquagenarios duces igne de caelo consumpsit; haec omnia ex Scripturis non ignorabant, nemo autem tanta opera fecerat, nec talia, quanta et qualia Chris- tus. »

8. — Divus Chrysostomus, *Hom. lxxiii in Joan.*, ad sacrosanciam Filii Dei vitam ex una parte, ex alia vero parte ad panicum illum timorem, quo Judaei Jerosolyman, per Romanos, causa ipsis ever- tendam esse metuebant, respiciens ita scribit, con- siderandum vobis erat, quod servitutem Babylo- nicam et miseriam, quas sub Antiocho Rege perpe- sistis non sancti et virtutibus illustres, sed qui in vobis erant perversi et sceleribus perpetratis infames censerunt: « Non fuit causa quod apud vos boni viri, sed mali et injusti, et Deum provocantes versabantur. » Enim vero ipsi ulpote a propriis passionibus excecati non considerabant, quod mor- tem innocentissimo Christo inferendo sibi metipsis ruinam conciliaturi essent et excidium; siquidem dum homines justi et sancti moriuntur, deiciuntur columne ille, quae populos, civitates, provincias et

regna sustentant et stabiliunt. S. Vincentius Ferre- rius, in sermone quodam in laudem S. Ambrosii conscripto, ita loquitur: « Lombardia modo non est perita, quia Deus ex sancta vita Ambrosii dissimulabat peccata hominum. » Idem quoque sanctus Mediolanensis Archiepiscopus testatur, dicens: « Magnus murus patrie vir justus, illius nos fides servat, justitia ab excidio defendit. » S. Cyrillus Alexandrinus pulchram quoque habet senti- entiam, in qua efficaciter ostendit quam mala consulta ferit illa Judaeorum sententia, qua Chris- tum e medio tollere decreverunt, de quo fateban- tur: *Multa signa facit*, idque non ob aliam causam, quam quia ruinas sibi ex ejus vita imminentes metuebant; dicit enim: « Vehementer sanctis opus est, servant enim urbes et regiones clade impen- dente, liberant iram, quantumvis ferventem, vita claritudine, et impetus ejus iracundiae inver- tentes. »

9. — Salmeron duos pessimos assignat consilia- rios, qui unicuique ipsorum in hoc conciliabulo predominabantur: « Dnos pessimos consiliarios secuti sunt, nimirum ambitionem et avaritiam; timebant enim et gloriam et questum omnem sibi doctrina et signis Christi perituro, per quos duos consultores homo in universa vita et crimina preceps prolabitur. »

10. — Communior tamen Expositorum opinio est, quod sub pretextu zeli boni publici, se ad laxandam adversus Redemptorem vehementem odii et invidiae passionem, qua tunc vel maxime agita- bantur, seduci permiserint. D. Chrysostomus pau- culis lineis eandem invidiam trines diversis verbis detestatur. Primo enim ait: « Hec sine ratione nila dicebant, sed ex invidia tantam; » paulo post dicit: « Verum enimvero invidia nihil videt, sed caecat animam. » Tertia vero vice haec habet: « Sed ut dixi, gravis quidam affectus est invidia et plenus simulatione. » Rupertus Abbas de dolosa hac fictione aut simulatione, *lib. X in Joan.*, ita scribit: « Ergo hunc hominem interficere apud tribunalia quidem Caesaris videbatur fore tutum, apud iudicem populi videbatur esse necessarium; sic intenderunt arcum conventus ille malignan- tium et multitudi operantium iniquitatem, sic firmaverunt sibi sermonem nequam, sub hac occasione timoris, vel fidelitatis Romani Imperii, absconderunt laqueos, dixerunt: *Quis videbit eos?* »

11. — Theophylactus quoque laqueos istos, quos ad invidiam suam abscondendam tendebant, manifestat hisce verbis: « Ut non videantur insidari Christo propter invidiam, commune periculum in medium afferunt, conciliantes populum contra Christum, quasi perditionis auctor ille esset futu- rus. »

12. — Eiusdem opinionis Hugo Cardinalis fuit

« statuerunt inter se illi, qui erant de genere sacerdotali, ut quotlibet anno unus esset, qui illo officio fungeretur. » Alecius auctoritatem adducit Josephi Hebraei, lib. XVIII. *Antiquit.*, cap. iii, dicentis, Caipham Pontificatum sibi pecuniis comparasse; quod si verum est, quid mirum si ad mortem Christi machinandum duo haec ambitionis et emolumentum proprii adduxerit motiva, omnibusque eam suspicionem et timorem ingesserit, futurum esse, ut culpa Christi omnem in populum auctoritatem et dominium, omniaque bona terrena, quae in ea urbe possidebant, amittant?

2. — Albertus Magnus verba illa: *Unus autem ex ipsis*, ponderans ait: « Quasi diceret singularis dignitatis, et singularis astutiae, et singularis malitiae. Dicit hoc, ut intelligatur quod primam vocem habuit in consilio et ideo primus propositus. »

Dicit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis.

3. — Jansenius considerat quod S. Joannes, priusquam referat hanc Caiphæ exprobrationem, qua omnes concilio huic assistentes, tanquam ignorantes, et injurios, et negligentes carpit, eum summam Sacerdotem fuisse memoret: « Sivo significare volens, illum ratione suae pontificiae auctoritatis assum fuisse tam libere aliorum increpare incogitantiam; sive ad notandum magis et exaggerandum illius impietatem, qui cum debuisset ceteris omnibus fuisse religiosior et omnium maxime abhorruisse a corde innocentis, ceteris omnibus reperitus est magis impius. »

4. — Salmeron arrogantiam illius reprehendit: « Ubi primum nota, ingenium arrogantis esse, ut se solum sapere et scire reputet, cogitationesque suas magnificas existimet, reliquos vero et insidios esse et minus se intelligentes. » Albertus Magnus hanc quoque arrogantiam huic verbis detestatur: « More superhorum, aliorum inventa vituperando annihilat primum et tunc suis influere conatur consilium. » Jansenius existimat, quod priusquam Caiphæ has verba protulit, multa in eodem consilio congregatorum consilia præcesserint et precipue aliquorum, qui Christum occidere, omni conatu dissuadebant, eo quod nullas adversus eum delicti reatus in medium adduct posset, ac proinde sigillatim et seorsim suam hac in re opinionem subjunxerit, dicendo: *Vos nescitis*, etc. Lucas Brungenis quoque dicit: « Hæc verba significant, quod conciliaris ambigebant et in varias inclinabant opiniones; » ideoque quando Caiphæ locutus est, magna cum attentione auscultatus fuerit: « Quia majoris erat auctoritatis, liberius loquebatur, et facilius, quod dicebat, recipiebatur. » S. Thomas existimat, Caipham, dum illos velut ignorantes corripit, dicere voluisse. Vos non cogitatis quam justam et æquum sit, ut boni publici salus homo

preferatur privato: « *Vos nescitis quia expedit vobis*, etc., id est, iste homo moriatur, ne totus populus seducatur, quasi dicit, unus hominis salutem pro communi republica oportet contemneri. »

VERSUS 50.

Quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat.

Quia expedit.

1. — « Prudenter non dixit, necessarium est, » inquit Salmeron, « vel oportet, vel opus est; sed *expedit*, quia multis aliis modis poterat, quam morte redimere. » Tantis autem dolorum sumptibus salutem nostram operari voluit, ut copiosus esset apud eum redemptor. Angelicus Doctor ait: « Deus per suam omnipotentem virtutem poterat multis aliis modis humanam naturam reparare et tamen apud S. Joannem dicit: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* » S. Antonius de Padua in sermone quodam super hanc Feriam verbum illud, *Expedit*, ponderans, dicit verum id esse, « multiplici ratione. Primo, quia culpæ infinite satisfactio debebatur, ut ait Anselmus in *lib. cur Deus homo. Secundo*, quia omnes homines erant debitores per se nec per se satisfacere poterant. Tertio, quia tanta debet esse satisfactio, quanta est dignitas ejus cui est facienda, omne autem quod Deus non est, Deo satisfacere non poterat. »

Vobis.

2. — Salmeron optime hoc loco considerat, sacrilegum hunc Pontificem semetipsum non censuisse in numero redemptorum. « Non dixit *vobis*, » seipsum videlicet excipiendo a fructu passionis; » subjungit tamen quod quæ Græci et nonnulli codices Latini manuscripti, nec non Evangelium Syriacum legunt, *Nobis*, ideo probabile esse nonnullis ex his Sacerdotibus, qui in hoc concilio intervenerunt, postea fuisse conversos, quia in Actibus Apostolicis, vi, 7, legitur: *Multa turba sacerdotum obediēbat fidei.* Cæterum de hoc impio Caiphæ Salmeron attestatur, eum violenta semetipsum morte confocisse, ut scribit S. Clemens Alexandrinus in constitutionibus Apostolicis.

Ut unus moriatur.

3. — Horum verborum « duplex erat intellectus, » inquit S. Bonaventura, « unus procedens ex perversa intentione illius, et ille fuit carnalis, et alius vero intellectus finalis est divina revelatio, et iste fuit spiritalis; unde Spiritus Sanctus non fuit usus voluntate illius, quæ erat mala, sed locutione. » Caiphæ enim dicere volebat, Christo, quantumvis sanctus esset et innocens, patrareque

miracla, inferendam esse mortem, ut populus Judæorum eximeretur a periculis, quæ ipsis a Romanisventura esse metuebat; at vero, ut bene Cajetanus advertit: « Non admittit recta ratio, ut occidamus innocentemque unum, ut saltemur libertas aut vita totius gentis; » et tamen hic Pontifex hanc propositionem tanta cum securitate et animositate, seu potius impudentia pronuntiavit, quia cum esset summus Sacerdos, ambitio, lucri amor, invidia, cunctaque alie passionis intellectum et recte rationis ac discursus lumen totaliter excæcabat et obfuscabant. Unde idem Cajetanus ait fuisse « Palliatum judicium specie communis boni præponendi bono particulari, nulla mentione facta de justitia, deque innocentia; veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Porro Salvator noster qui scrutatur renes et corda, Pilato dupliciter et malignitatem illorum in conspectu totius Hebraismi manifestare novit, quando eidem dixit: *Qui me tradidit tibi, major peccatum habet*; his namque verbis ei indicare voluit scelus eorum longo esse execrabilius injustitia Pilati; hic namque ad mortem Christo per sententiam suam inferendam motus fuit, ne Casaris gratiam amitteret, Sacerdotes autem et Pontifices eandem machinabantur sub prætextu justi zeli cultus divini, religionis et boni publici, cum tamen interius ab invidia, ambitione, alisque emolumentis, quibus avida inhiabant, essent excæcati; jam vero, ut S. Augustinus ait: « Id zelando facere, multo majus malum est; » Deo namque, religione et divini honoris zelo abusi sunt, ut suum adversus eundem Deum conceptum odium evomere possent. Toletus quoque hanc propositionem in semetipso injustam fuisse probat, dum ait: « Attende Caiphæ sententiam in eo, quem ipse conceperat, sensu, iniquam fuisse et falsam; falsam quidem, quia innocentem nec licet, nec expedit occidere pro temporali republice salute; rursus quia expediens et utilis illis ista occasio non fuit juxta eorum sensum, » quia Romani ad exterminandum illos justo Dei judicio fuere permoti; ad hæc quæ ratione probari poterat expedientem esse mortem illius, qui *Pertransibat benefaciendo et sanando omnes?* Illius, inquam, qui mortuos suscitabat, irreprehensibilemque annuntiabat doctrinam, qui immaenatas promulgabat leges, qui miracula patrabat, qui clementis imperare poterat, qui per tam evidentia signa omnipotentiam, innocentiam, sanctitatem et divinitatem suam manifestabat, de quo etiam ipsimet ejus, licet implicabiles, inimici dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Et quidem quæ ratione fieri poterat, ut in illo concilio nullus adesset, qui Christi disciplina allectus, discipulus ejus non esset? ubi erant Nicodemus, Joseph ab Arimathæa, Gamaliel? cur ejus sibi non vindicaverunt defensionem aut tutelam? Nihil hic aliud

responderi potest quam quod vel non fuerint ausi, vel noluerint esse prode, neque pro ejus defensione discipulos ejus declarare, eo quod jam pona decreta fuisset, *ut si quis cum confiteretur esse Christum, extra synagogam ferret*; unde Nicodemus ne proderetur, accessit ad Jesum nocte; vel etiam pro illorum excusatione dicere possunt, quod latere maluerint, eo quod adversus tantum inimicorum Christi torrentem nihil se profecturos esse prevederent.

4. — Salmeron hoc loco bene considerat quod non dixerit: « Interficiatur, sed *moriatur*, quia « sponte mortuus est, *oblatus est, quia ipse voluit, potestatem habebat ponendi animam suam.* »

Unus.

5. — Quia in operanda hominum salute et redemptione procuranda solus esse, nec ullum subdidum alienum admittere voluit, adeo ut de se sancto gloriaretur, *Isa.*, LXIII, 5: *Torcular calcei solus et de gentibus non est vir mecum*; ubi Interlinearis dicit: « Pressuram crucis sustulisti solus. » Non est vir mecum, id est, « ut Glossa ait, » « Nec Angelus, nec Archangelus, nec quilibet celestis spiritus. » Hugo Cardinalis ait: « Nullus mecum socius fuit in patiēdo; » et multo apertius Dionysius Carthusianus, qui hanc illius rationem reddidit: « Quoniam ipse solus pro hominibus satisfecit; » quasi dicere vellet, nulla alia creatura de toto rigore justitiæ æquivalentem satisfactionem dare poterat: *Omnes quippe declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* *Psal.* III, 3.

Homo.

6. — Mysteris hæc dictio scælet, siquidem hanc nostra mortali carne vestire se voluit, ne Deus esse aperte agnosceretur, quia, *I Cor.*, II, 8: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Pilatus illum, dum in summa passionis suæ acerbitate constitutus esset, coram toto Hebraismo in hominis similitudine publice demonstrare voluit, quando dixit: *Ecce homo.* Porro expediens erat, ut Deus pariter et homo esset; homo quidem, ut sanguinem haberet, quem pro nostra redemptione effunderet et corpus, in quo tormenta pati posset; homo item, quia homo divine justitiæ debitor erat. Semel tamen conveniebat, ut etiam Deus esset, ut passionis suæ valorem sufficientem adungeret, adhuc ut meritum in se et satisfactionem infinitam haberet. S. Joannes, qui clarissimum veræ Theologiæ lumen fuit, quod unquam Ecclesia habuit, de Redemptore nostro nihilominus scribit, *Joh.*, XI, 3: *Sciens quia a Deo exivit et ad Deum rediit*; ex quibus verbis ultima facilius et melius intelligitur, quam prima; quoniam enim modo Verbum unquam e sinu paterno egredi potuit? Solutum autem dubium istud S. Bernardus, *Serm.* II in *Cena Domini*, dum ait: « Talem

« se hominibus præbuit, qui possi ligari, colaphari, conspui et ad ultimum occidi, hoc est, quod dicitur, a Deo erivi, » estque idem, ac si diceret, quod ad hoc ut moreretur, ipsum necessum fuerit fieri hominem: *Expedi ut homo moriatur.* Ubi Salmeron, tract. lvi, ait: « Homo, non Angelus, quia qui debuit contraxerat, solus debebat solvere: scriptum est: *Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam et pretium redemptionis animæ suæ,* » adducitque illud Apostoli testimonium dicentis: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Pro populo, ut non tota gens perent.

7. — Notat Lucas Brugenensis, neminem, præter hunc sacrilegum et impium, similem animum fuisse proferre blasphemiam: « Quia scriptum est: *In sententiam et iustum non occides, Exod., xxiii, 7.* Ut evitetur maximum malum pœnæ, non est committendum vel minimum malum culpæ. »

8. — Tyrannus hanc Caipha ignorantiam passioni attribuit invidia, quæ eum excecabat: « Hinc patet manifeste, quod passio invidia et livoris contra Christum, et passio timoris perendi gentem et locum, subvertebant in eis rationis iudicium, quia in nullo casu licitum est interficere innocentem; hoc enim non procuratur bonum commune, sed magis destruitur. »

9. — Toletus advertit omnem concilii huius sollicitudinem in eo positam fuisse, ut scilicet inexplicabilis illa explanaretur difficultas, scilicet qua ratione Christus morti adjudicari posset, quia nullum adversus eum delictum invenire aut excogitare poterant, ac proinde summus Sacerdos boni publici prætextum adducere debuit: *Excogitaverant sibi expediti unum mori pro omnium salute.*

10. — Admiranda igitur est in hoc concilio Sapientia divina, quæ ita disposuit, ut inter tot homines consilio et prudentia humana conspicuos, eosque juratos Christi inimicos, de processu criminali adversus Christum serio tractaretur, nec tamen vel unus ipsam, vel de minimo culpæ novo redarguere ausus fuerit: « Nec inter se, ubi serio res agebatur, seductorem, aut dæmonium habentem, aut blasphemum, aut legis transgressorem esse proponant. » Voluitque ut ipsemet Caiphas tanquam caput illius, eum declararet innocentem: « In hoc Caipha decreti apparet et constat innocentia Christi, confessi sunt enim multa illum signa facere, nec causam ullam mortis se in eo invenire. »

11. — Non poterat equidem dignior Christo formari processus, nec æquior pronuntiari sententia ad declarandum hominem Christi debitorem, quam dicendo: *Expedi, etc.*, siquidem mors ejus universum mundum vivificatura erat, omnesque

amplaxaturi erant ejus fidem: *Omnes credent in eum.*

VERSUS 51.

Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente.

Hoc autem a semetipso non dixit.

1. — Cajetanus modum, quo S. Joannes sensus propositionis Caipha explicare nobis voluerit, his verbis declarat: « Exponit quod hæc verba Caipha quantum ad id quod veritatis continebant, dixit actus a Spiritu Sancto ratione officii pontificalis, quamvis quantum ad iniquæ occisionis consilium et intentum a Caipha, dixerit a seipso. » Tyrannus interpretationem quamdam adducit a præcedenti parum diversam; dicit enim quod lametsi Caipha intentio solum ad hoc directa fuerit, ut ad evadendam imminenti sibi a Romanis pericula Christi mortem concilio persuaderet conficiendam esse: « Tamen verbum ejus sic sonabat, quod Christus erat moriturus pro gente et populo, et quod sicut fuit prolatum, fuit prophetia quodammodo de futuro, quod Christus erat moriturus pro salute spiritali non solum Judæorum, sed etiam omnium gentium. »

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis dictum Caipha a spiritu mendacii dictatum fuisse existimat: « Oraculum magne veritatis significativum, spiritus mendacii per os hujus Caipha sibi usurpavit, ut quod confiteretur Evangelica fides in veritate, hoc idem æquivoce sonaret per os nescientis et contra omnem veritatem nitentis homicidæ. » Chrysostomus tamen, *Hom. lxxv in Joan.*, sensum omnino contrarium in verbis illis latere ostendit, dum ait: « Vide quanta Spiritus potentia: a mala mente verba prophetica et admirationis plena elicere potuit. » S. Cyrillus ait: « Rem veram dicit, sed non ex eorum malignitate, ad ex Dei voluntate et sapientia ad bonum directa fuit. »

Sed cum esset Pontifex anni illius.

3. — S. Cyrillus ait: « Quoniam sacerdoti dignitatem obtinebat, non tanquam ei data prophetia, sed sacerdotii functione. »

4. — S. Thomas ex illis verbis hanc consequentiam deducit, quod scilicet Deus nonnunquam etiam malis, in dignitate positus, ad beneficium subditorum, dona sua concedere soleat: « Ex quo datur nobis intelligi, quod etiam malos in dignitate constitutos Spiritus Sanctus movet ad loquendum aliqua vera et futura, pro utilitate duntaxat subditorum. »

5. — Salmeron ex his verbis Dei assistentiam et patrocinium deducit, quod illis, qui gubernant, præcipue vero summis Pontificibus prestare solet;

unde tale format argumentum: « Si non defuit moribunda et illo anno peritura synagoga, minus Christi Vicario et Pastori Ecclesiæ universalis deesse potuit. » Divus Chrysostomus ait: « Vides quanta sit pontificalis potestatis virtus? Cum enim Pontifex esset, licet indignus prophetavit. »

Prophetavit quod Jesus, etc.

6. — Idem sanctus Doctor hanc prophetiam solum in lingua, non vero intus in corde habuisse dicit: « Nescius tamen quid diceret, et os tantum gratia, non autem scelestum cor attingit. » Ac proinde S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac fer.*, Prophetæ titulum illi attribuere renuit: « Quia non intellexit quod dixit, sed in sensu, quo ille locutus est, falsum protulit. » Albertus Magnus quoque probat eum non intellexisse quid diceret: « Ignorans quod verba salutis omnium proferret; verba prophetiæ protulit, quamvis inspirationem propheticam non acceperit. » Salmeron Saulis præsciti exemplum adducit, dicens: « Accipe illum non habitum, sed actum prophetiæ habuisse, quemadmodum de Saule dicitur: *Institit in te Spiritus Domini, et prophetabis.* » S. Gregorius a S. Bonaventura citatus, asine Balaam exemplo utitur, dicens: « Sic irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem nature rationalis accessit; ita sepe quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit, ut se supra se loquendo emineat, et infra serviendo torpeat. »

7. — Jansenius divinam admiratur sapientiam, utpote quæ ex malis bona elicere novit: « Hinc discendum quomodo Deus mala in bonum convertat, impiisque hominum voluptatibus, dictis et factis bene utatur; » in eo sensu, quo Caiphas dixit: *Expedi vobis, etc.* Unde S. Thomas de Villanova ait: « Non enim debet occidi innocens, etiam inde speraretur quæcumque commoditas, quia sanguis effusus clamat contra populum; occidere innocentem, non est querere, sed destruere bonum publicum. » Caiphas hanc propositionem pronuntians, ab invidia, odio et malignitate contra Christum permotus fuit, licet boni publici mentiretur prætextum: « Hic a spiritu proprio sua malignitatis, » inquit Lucas Brugenensis, « motus est suo consilio ad dandam sententiam mortis contra Jesum ex odio et invidia; » sed eam sententiam Deus superiori impulsu ita proferri et pronuntari voluit, ut non alias melius et plenus interpretari vir mysteriorum intelligentis possit, quam ut ad salutem publicam totius mundi per Jesum mortem parandam referatur. » Idem quoque blasphemiam fuisse declarat quoad intentionem, qua fuit prolata; prophetiam vero fuisse dicit, quoad verborum sonum externum;

« Prophetia fuit juxta sensum, quem Spiritus Sanctus intelligi voluit; tum vero blasphemiam fuit, juxta sensum mentis Caiphae. Ita fit ali- quando, ut impiorum linguis Deus sic flectat, ut eisdem verbis, quibus maledicere voluit, benedici cant. »

VERSUS 52.

Et non tantum pro gente, sed et filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum.

1. — Isaias, *xcix, 6*, Messiam non solum ad Hebræos luce fidei suæ illuminandos, sed etiam ad omnes alios totius terre populos eadem luce colustrandos missum fuisse prædixit: « Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremam terræ. Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et fœces Israel converendas. » Christus quoque ipsemet apud S. Joannem, *xvi, 10*, dicit: *Alius oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.* Albertus Magnus ait: « Ut filios Dei omnes in toto mundo ad gratiam prædestinationis, quas Deus in filios adoptionis formandos prævidit conformes futuris Filio suo. »

2. — Theophylactus lupum infernale variis modis dispersisse considerat, dum ait: « Ab invicem divulsit, ut unusquisque sæviret contra proximum suum; propter divitiarum amorem et vanam gloriam, Christus ita in unam nos collegit Ecclesiam, et sub unum coniecit jugum, tam eos qui prope, quam eos qui longe erant, unum corpus faciens, ut is qui Romæ est, eum qui in India est, suum membrum esse credat et omnium unum caput fateatur esse Christum. »

3. — Albertus Magnus ait: « Dispersos in multos cultus, et in multos deos, et diversas voluntates, et modos vivendi, congregaret in unum per fidem religionis christiæ. *Psal. cv, 47: Sateos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confitemur nomini tuo.* »

VERSUS 53.

Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

1. — Considerabilis est illa hujus concilii unio, in qua de morte Redemptori nostro infrenda tractatum fuit. S. Cyrillus ait: « Non enim dixit Evangelista: Ab illa hora cædis faciende consilium coepisse, sed simul et universos de ea concitasse. » Neque concilium hoc ingressi sunt ad examinandum et consulendum inter se, an justum et conveniens sit Filio Dei necem inferre, sed hoc jam veluti totaliter conclusio supposito, de modo id faciendi cogitant: « Hoc est, quod privatum tim singularis videbatur, in communi omnibus placuisse. » Rupertus Abbas, *lib. I in Joan.*, ait: « Ab illo die prædestinato concilio cogitaverunt, ut

